# INDEX SUPPLEMENTARIUS

# LOCORUM NATALIUM SPECIALIUM

## PLANTARUM NONNULLARUM VASCULARIUM

IN

# PROVINCIA ARCTICA

# NORVEGIÆ

SPONTE NASCENTIUM,

QVAS

OBSERVAVIT

J. M. NORMAN.

# DICOTYLEDONES.

## RANUNCULACEÆ.

1. THALICTRUM KEMENSE, *Fr.*

Hab. qvoque, optime evolutum, passim ad saliceta juxta flumen *Anarjok* ex. gr. prope domicilium infime habitantis (*Dorvenjarga*), inter ostium rivi *Gossejok* et silvam *Bassevuovde*, prope domicilium supreme habitantis (latere fennico), his locis vulgo a T. FLAVO comitatum. In parte infima convallis *Maalselven* et in insula *Senjen* (tractu prædii *Klöven*) occurrit forma Thalictri, quæ huic speciei verisimiliter adnumeranda est.

2. ANEMONE RANUNCULOIDES, L.

Hab. qvoqve in alnetis partis inferioris convallis *Maalselven* scil. ad radicem montis *Akka* et ad clivum jugi montani prope ostium rivi *Tagelv* paullo supra viam, attingens latit. boreal. 69° 10–15.

3. BATRACHIUM CONFERVOIDES, *Fr.*

Hab. qvoqve in lacunis inundatis ripariis ad flumen *Karasjok* prope *Assebakte;* ad stagnum *Storfjeldvandet Varangriæ borealis* (ab amico *Nordvi* missum); per *Porsangriam* ad pagum *Laxelv* et haud procul ab ostio fluminis *Börselv*, ubi latit. boreal. attingit 70° 18—20.

4. BATRACHIUM PELTATUM, *Fr.*

Hab. qvoqve in lacu fluminis *Anarjok* superioris et in lacu *Övre-Laxevand Porsangriæ* intimæ.

5. RANUNCULUS GLACIALIS, *L.*
Hab. in parochia *Maalselven,* a *Lund* indicatus, scil. ad alpes *Aglapen* et *Rostafjeld;* ad cacumen alpis *Tromsödaltind,* a mari paullo remotæ, copiosissime; ad jugum alpinum juxta convallem *Vasbotten* a pago *Talvig* remotius sitam.

6. RANUNCULUS REPTANS, *L.*
Hab. qvoqve freqventissime ad stagna parvula limosa æstate magis minusve exsiccata per districtum *Karasjokensem* subalpinum numerosissime sparsa; in lacu *Jaskisjavre* fluminis *Anarjok;* in *Porsangria* ad pagum *Laxelv* et in convalli *Börselv,* ubi latit. boreal. attingit c. 70° 20.

7. RANUNCULUS LAPPONICUS, *L.*
Hoc in seculo in *Norvegia* non lectus, a *Gunnero* pro hac provincia indicatus, sed, ut *Th. Fries* e verbis ejus forsitan rite suspicatur, ab eo non visus, habitat ad uliginosa sylvatica juxta flumen *Anarjok* prope rivum ei affluentem inter rivum *Gossejok* et silvam *Bassevuovde* (i. e. silva sancta).

8. RANUNCULUS HYPERBOREUS, *Rottb.*
In districtu *Altensi,* jam prius indicatus, sat freqvens est etiam infra terminum HORDEI prope domicilia et in cultis; per *Porsangriam* ad pagum *Laxelv,* in convalli *Börselv,* ad *Repvaag.*

9. RANUNCULUS AURICOMUS, *L.*
Affines species non omnes cognoscens dubitavi, an nostra planta verus AURICOMUS sit; ornata nempe est *vagina radicali aphylla* sed jam *præcocius destructa,* foliis tamen semper incisis et figuratis ut in forma australi, carpellis pubescentibus, pedunculis non sulcatis. Habitat per præfecturam *Senjensem* in parochia *Kvæfjord*, ad insulam *Senjen* (tractu prædii *Klöven*), in convalli *Maalselven* ad prædium *Fagerlidal,* in convalli laterali *Dividal;* ad insulam *Tromsö* pluribus locis; porro in convalli *Alten* ad *Storgjerdet* et ad sinum *Komagfjord* copiose, ubi latit. boreal. attingit 70° 15—17.

10. CALTHA PALUSTRIS, *L.* Var. RADICATA.
In recessibus fluminis convallium *Maalselven* et *Alten* sat freqventer occurrit, transiens in formam *α*.

11. ACONITUM SEPTENTRIONALE, *Köll.*
Hab. qvoqve copiosius ad isthmum inter pagum *Lavangen* et *Torrestad* sinus *Ofodensis.*

12. ACTÆA SPICATA, *L.*
Hab. qvoqve ad insulam *Kvæö;* in parochia *Maalselven,* prius indicata, ex. gr. prope prædium *Storbakken* et in convalli *Dividal;* in convalli *Salangen* ad prædium *Krogen;* nec non in districtu *Talvig* ad clivos riparios juxta lacum *Storvandet,* ubi latit. boreal. transgreditur 70°.

## NYMPHÆACEÆ.

13. NYMPHÆA ALBA, *L.*
Habitat, indicata a *Lessing* pro archipelago *Lofoden,* qvoqve ad stagnum in insula *Senjen* tractu prædii *Klöven,* ubi latit. boreal. attingit 69° 9—14,

14. NUPHAR PUMILUM, *DC.*
Hab. qvoqve ad stagnum in jugo montano humiliore, inter flumina *Maalselv* et *Divielv* posito, ubi amicus *J. B. Barth* et ego vidimus.

## PAPAVERACEÆ.

15. PAPAVER NUDICAULE, *Rottb.*
In jugo alpino juxta *Vasbotten* remotius a pago *Talvig* id anno 1852 detexi prius in *Finmarkia,* nisi fallor, non lectum, sed a *Blytt* postea publicatum. Descendit qvoqve ad ripas rivi infra terminum PINI copiosius.

15b. CORYDALIS FABACEA, *Pers.*
Hab. qvoqve passim per parochiam *Maalselven* scil. in convalli *Kirkesdal* ad prædium *Iselvmo,* ad prædium *Skjeggestad,* ad prædium *Kongslid* prope lacum

*Rostavand*, in convalli *Dividal* ad plura loca; nec non ad insulam *Tromsö*, ubi medicus districtus *Nissen sen.* eam legit et dedit.

## CRUCIFERÆ.

16\. NASTURTIUM PALUSTRE, *DC.*

Hab. in convalli *Maalselven*, prius indicatum, sat copiose in parte inferiore præcipue inter prædia *Guldhav* et *Olsberg*, parcius ad prædium *Aasen;* in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* juxta flumen *Anarjok* prope domicilium supreme habitantis; ut etiam juxta flumen *Pasvigelv Varangriæ australis.*

17\. BARBAREA STRICTA, *Fr.*

Per convalles *Maalselven* et *Alten*, unde jamdudum cognita est, occurrit passim, in illa procedens qvoqve juxta flumen *Divielv.* Adest qvoqve ad insulam *Tromsö* et ad *Tromsödal;* ad convallem fundi sinus *Lille-Lærrisfjord;* nec non in *Porsangria* in tractu lacus *Laxevand.*

18\. ARABIS HIRSUTA, *L.*

Hab. qvoqve ad latera montis *Flöifjeldet* prope *Tromsö* loco 4—500 ped. supra mare elevato; ad *Talvig;* nec non ad sinum *Komagfjord* et ad clivos jugi alpini convallis fundo sinus *Store-Lærrisfjord* adjacentis, ubi ad vel supra terminum BETULÆ adscendens latit. boreal. attingit 70° 15—20.

19\. CARDAMINE BELLIDIFOLIA, *L.*

In parochia *Maalselven* a *Lund* indicata habitat supra terminum Betulæ ad alpem *Aglapen* et in ipso cacumine alpis *Rostafjeld;* porro ad alpem continentalem a prædio *Klöven* Senjensi remotam; ad alpes circa *Tromsödal;* nec non ad jugum inter sinum *Store-Lærrisfjord* et *Lille-Lærrisfjord.*

20\. CARDAMINE PRATENSIS, *L.*

Hab. copiosius per tractum litoralem provinciæ et partem

inferiorem convallium continentalium, rarescit aliqvantulum in parte earum superiore. Sic occurrit qvoqve per *Porsangriam* ad *Börselv*, tractum inter *Bævkegoppe* & lacum fluminis *Staburselv*, juxta flumen *Laxelv* & ad lacum *Laxevand;* ut etiam in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* juxta flumen *Karasjok*, a qvo remotius scil. ad *Bavdojavre* terminum BETULÆ fere attingit.

21. DRABA SP. LAPPONICÆ proxima, scapo *aphyllo*, fructifero *adscendente;* foliis lanceolatis, basin versus attenuatis, integerrimis, apicem versus pilis simplicibus demum subosoletis ciliatis, *cætero ut tota planta glabris;* petalis *subcuneatis* (nec obovatis sat subito in ungvem attenuatis), *flavis;* siliculis ovali-lanceolatis, stylo brevi vel subnullo coronatis, *vulgo 3—5 in corymbum dispositis, infima* unacum pedunculo suo *rachin* corymbi vulgo *superante & scapum sibi infrapositum subæqvante.* DRABA OCHROLEUCA *Ledeb. & Runge?* Habitat ad alpes circa *Tromsödal.*

22. ERYSIMUM HIERACIFOLIUM, *L.*
Hab. qvoqve ad *Harstadhavn & Klöven* præfecturæ *Senjensis;* ad *Talvig* prope *Storvandet;* ad sinum *Komagfjord* & convallem fundi sinus *Lille-Lærrisfjord;* nec non ad fundum sinus *Laxefjord.*

23. THLASPI ARVENSE, *L.*
Hab. qvoqve ad *Kvæö* & prædium pastoris *Tranöensis* præfecturæ *Senjensis.*

24. CAKILE MARITIMA, *Scop.*
Hab. qvoqve ad *Havnvig, Ibbestad, Kvæö* præfecturæ *Senjensis.*

25. SINAPIS ARVENSIS, *L.*
Hab. qvoqve ad *Klöven*, insulam *Tromsö* & pagum *Talvig.*

26. BRASSICA CAMPESTRIS, *L.*
Hab. qvoqve ad *Harstadhavn.* In insula *Tromsö*

jamdudum notata adest freqventius in cultis, & semina ejus ad maturitatem perveniunt.

27. SUBULARIA AQVATICA, *L.*

Hab. qvoqve haud procul ab ostio fluminis *Altenelv*, ubi anno 1852 copiosam vidi; ut etiam in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* scil. ad flumen *Anarjok* prope domicilium supreme habitantis & juxta flumen *Karasjok* prope *Assebakte*.

## VIOLARIEÆ.

28. VIOLA PALUSTRIS, *L.*

Deest vix in ullo tractu infraalpino a me visitato per litoralem provinciæ; sic eam notavi ex. gr. ad *Kvæö*, *Harstadhavn*, per convallem *Maalselven* usqve ad prædium *Skjeggenæs*, ad *Tranö*, *Tromsö*, *Alten*, in insula *Sörö*, ad sinum *Laxefjord Finmarkiæ orientalis (Veinæs)*, per *Porsangriam* ad *Veinæs*, *Kistrand* nec non ad insulam *Maasö*, ubi attingit latit. boreal. 71°.

29. VIOLA SVECICA, *Fr.*

Hab. vulgatius per provinciam ex. gr. ad *Harstadhavn*, *Havnvig*, *Kastnæshavn* &c. præfecturæ *Senjensis*; in insula *Sörö*; per *Porsangriam* ad *Veinæs*, *Börselv* & in tractu lacus *Laxevand*; porro in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* juxta flumen *Anarjok*.

30. VIOLA TRICOLOR, *L.*

Hab. tam in cultis qvam copiosius ad rupes maritimas & litora ipsa maris per præfecturam *Senjensem* ad *Harstadhavn*, insulam *Tromsö* & continentem adjacentem. In districtu *Altensi* ex hortis disseminatam ad prata prope *Bossekop* macriorem vidi. Anno 1863 floruit sponte nascens die 17mo Septembris & serius ad *Tromsö*.

## SILENEÆ.

+ AGROSTEMMA GITHAGO, *L.*
In agris ad pagum *Talvig* latit. boreal. 70° transgredientem hanc plantam bene evolutam & florentem anno 1863 vidi sed tantum inter segetem, cujus semina ab extero adducta fuere. Sic ad interim minime ut civis Florulæ hujusce salutandum est.

31. DIANTHUS SUPERBUS, *L.*
Hab. qvoqve ad ***Billefjord** & **Kulvig Porsangriæ;*** ad ***Veinæs*** & ad fundum intimum sinus ***Laxefjord*** copiose. Ubiqve ad litora ipsa vel in vicinia proxima eorum tantum vidi.

32. SILENE INFLATA, *Sm.*
Hab. passim nec copiose a me visa ad insulam ***Kvæö, Harstadhavn, insulam Tranö, prædium Klöven*** insulæ ***Senjen,*** nec non ad insulam ***Tromsö,*** ubi e cultis certissime profuga est. Etiam hoc loco semina ad maturitatem perducta observare licet.

33. SILENE MARITIMA, *With.*
Hab. passim freqventer & vulgo locis suis sat copiose, non tamen ubiqve locorum aptiorum; sic qvoqve adest ad insulam ***Kvæö, Harstadhavn,*** prædium ***Klöven,*** insulam *Tromsö* & continentem adjacentem præfecturæ ***Senjensis;*** porro ad insulam ***Sörö*** in tractu ***Bredvigensi;*** nec non haud remote ab ostio fluminis ***Börselv Porsangriæ.***

34. VISCARIA ALPINA, *Fr.*
Hab. suis tractibus freqventius & copiosius, non tamen ubiqve locorum aptiorum. In parochia ***Maalselven,*** prius indicata, ex. gr. ad alpem ***Rostafjeld;*** ad alpes circa ***Tromsödal;*** ad sinus ***Komagfjord** & **Lille-Lærrisfjord;*** in tractu lacus ***Laxevand Porsangriæ;*** ad fundum intimum sinus ***Laxefjord*** copiose ad litora ipsa, a DIANTHO SUPERBO comitata, crescit.

35. MELANDRIUM SYLVESTRE, *Röhl.*

Variat parcissime SUBACAULE ex. gr. in parte inferiore convallis *Maalselven* & ad insulam *Kvæö*. In insula *Sörö* loco a pago *Bredvig* remotiore occurrit insignis varietas GLABRA examinatione exactiore dignior.

36. MELANDRIUM APETALUM, *Fenzl.*

A *Gunnero* ut «in arenosis *Norlandiæ* & *Finmarkiæ* passim» proveniens commemoratum, spectante forsitan tam hoc e *Norlandia*, qvam M. AFFINE ad ripas arenosas fluminis *Altenelv Finmarkiæ* copiose nascens, sed post *Gunnerum*, nisi fallor, non hoc in provincia denuo repertum, habitat supra terminum BETULÆ in glareosis alpis *Aglapen* parochiæ *Maalselven*.

37. LYCHNIS FLOS CUCULI, *L.*

A *Blytt* ad *Tromsö* et a *Lessing* in archipelago *Lofodensi* ut sponte nascens indicata est. Eam in prato artificiali insulæ *Tromsö*, a pluribus aliis plantis huic tractui omnino alienis comitatam, et loco ipso (ad villam *Jordbærhougen*) cum seminibus pratensibus *Christianiæ* emptis seminatam observavi. Specimina a me visa æstate faustiore & autumno mitissimo longe protracto anni 1863 die 18vo Octobris floruere sine ullo indicio maturationis fructus; itaqve ad interim hæc planta ut civis dubia Florulæ *Tromsæensis* consideranda est.

## ALSINEÆ.

38. SPERGULA ARVENSIS, *L.*

In districtu Altensi & convalli *Maalselven*, ubi *Lund* eam indicat, præcipue in hac tam in agris qvam in arvis copiosissima est, ut hæc sub florescentia omnino albescant, odorem peculiarem longe lateqve emittentia. Habitat qvoqve in districtu *Tromsæensi* & alibi præfecturæ *Senjensis* sat freqventer.

39. SAGINA NODOSA, *Fenzl.*

Locis litoralibus per tractus, qvos visitavi, haud raro occurrit, sed, ut credo, minime ubiqve. Sic habitat qvoqve in

*Porsangria* ad *Kistrand*, nec non in insula *Maasö*, attingens latit. boreal. 71 °. Hoc loco die 9no Septembris 1863 floruit, sed flores parciores & minores sunt qvam alibi & sæpe non fructificantes, dum propagula axillaria caduca numerosissima ut bulbilli propagationi inserviunt.

40. ARENARIA SERPYLLIFOLIA, *L.*
Hab., a *Sommerfelt* in districtu *Saltensi* indicata, qvoqve ad prædium pastoris *Evenæs* sinus *Ofoden;* nec non sat copiose ad *Harstadhavn* parochiæ *Throndenæs*, ubi latitud. boreal. attingit 68 ° 45—50.

41. ARENARIA CILIATA, *L.*
Hab. qvoqve in parochia *Maalselven* ad latus alpis *Rostafjeld* supra terminum BETULÆ nascens; ut etiam haud procul ab ostio fluminis *Börselv Porsangriæ* prope litora maris.

42. LEPIGONUM SALINUM, *Fr.*
Hab. ad litora infra ædes mercatoris ad *Harstadhavn;* ubi attingit latit. boreal. 68 ° 48—49. Plantam annuam hoc loco ab altera annua scil. SALICORNIA comitatam stadio tantum præcociori mense Julio legi, sed amicus pastor *C. F. Holmboe* secundum indigitationem autumno provecto legit & misit specimina florentia & copiose fructificantia seminibus maturis, qvorum plurima aptera, paucissima ala lata cincta sunt. Speciem omnino identicam autumno 1852 in parochia *Nærö* ad limitem diøcesis *Nidrosiensis* & *Tromsæensis* legi, nec ullum aliud LEPIGONUM adhuc in provincia arctica vidi. Secundum descriptionem *Wahlenbergii:* «semina (omnia?) mirum in modum margine hyalino radiante» Fl. Lapp. p. 132, crederes LEPIGONUM ejus MARINUM verum esse, sed tamen notandum est, *Wahlenbergium Nordlandiam* visitasse tempore æstatis, qvo planta verisimiliter rarius fructificat.

43. ALSINE STRICTA, *Wg.*
Habitat hæc planta, non alibi, nisi fallor, in Norvegia arctica indicata, ad latus alpis *Rostafjeld* parochiæ *Maalselven* supra terminum BETULÆ nascens.

44. ALSINE BIFLORA, *Wg.*
Hab. qvoqve in parochia *Maalselven* scil. ad latus alpis *Rostafjeld* & infra cacumen alpis *Aglapen;* nec non in tractu lacus *Laxevand Porsangriæ.*

45. ALSINE HIRTA, *Hartm.* *β.* RUBELLA.
Hab. qvoqve in parochia *Ibbestad* ad alpem prope *Havnvig;* ut etiam in parochia *Maalselven* ad alpem *Aglapen.*

## LINEÆ.

46. LINUM CATHARTICUM, *L.*
Hab. qvoqve prope prædium *Evenæs* sinus *Ofoden;* nec non copiosius ad rupes maritimas prope *Harstadhavn,* ubi latit. boreal. attingit 68° 48—49. Hoc loco qvoqve a TRICHERA ARVENSI et DACTYLI GLOMERATA comitata est, omnino ut *Sommerfelt* easdem hac in provincia rariores observavit prope *Bodö,* dum *Lessing* in tractu litorali exteriore scil. infra *Himmeltind* insulæ *Vestvaagö* archepelagi celebris *Lofodensis* LINUM tantum a TRICHERA comitatum vidit.

## OXALIDEÆ.

47. OXALIS ACETOCELLA, *L.*
In convalli *Maalselven,* ubi nascentem indicavit *Lund,* passim inter prædia *Fredriksberg* & *Rognmoen* & ad partem superiorem convallis prope *Överby* sat copiose occurrit. Hab. qvoqve parcius in tractu litorali exteriore scil. ad insulam *Kvæö.*

## TAMARISCINEÆ.

48. MYRICARIA GERMANICA, *Desv.*
Prius ut in districtu *Saltensi* & *Altensi* nascens notata, habitat qvoqve in parochia *Maalselven* præcipue ad

flumen *Divielv*, ut etiam trans promontorium *Nordcap* in *Porsangria* ad flumen *Börselv*, qvo loco latit. boreal. attingit 70° 18—20.

## LEGUMINOSÆ.

49. PHACA FRIGIDA, *L.*
Hab. in convalli *Maalselven*, ubi *Lund* indicavit, ad alpes ex. gr. in alpe *Rostafjeld* supra terminum BETULÆ nascens, sed ibi ad fundum convallis descendens adhuc non visa; porro in districtu *Altensi*, jamdudum cognita, tam in cacumine alpium qvam in fundum convallium, a mari remotiorum, juxta flumina descendens; in *Porsangria* ad convallem *Börselv* & in tractu lacus *Laxevand;* nec non in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* flumen *Anarjok* copiosius seqvens usqve ad inosculationem rivi *Bavtejok.*

50. TRIFOLIUM PRATENSE, *L.*
Hab. copiosius per partem australiorem præfecturæ *Senjensis*, tractus litorales petens, convalles interiores continentales fugiens, scil. ad *Havnvig*, insulam *Kvæö*, *Harstadhavn*, ubi colles ab eo florente rubescunt, *Tranö*, insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven*, nec non in insula *Tromsö*, ubi tamen e cultura temporis recentioris dispersum videtur.

51. LOTUS CORNICULATUS, *L.*
Hab. passim sat copiose, vulgo luxurians, floribus majoribus ornatus, per litoralem præfecturæ Senjensis ad *Kvæö*, *Harstadhavn*, *Tranö*, *Klöven*. In convalli *Maalselven*, a *Lund* notatus, tantum in parte inferiore ejus, qvæ in dicione & potestate climatis litoralis est, adhuc observatus est, sed hic, ut plures aliæ herbæ prope terminum earum continentalem, loca elevatiora petens (ex. gr. ad radicem montis *Akka*). Etiam ad insulam *Tromsö*, unde diu cognitus est, & ad continentem adjacentem sat copiose occurrit.

52. LATHYRUS MARITIMUS, *Big.*

In districtu *Altensi,* jamdudum indicatus, copiosissime ad arenosa lata inter ostia fluminum *Altenelv & Tverelv* terram particulatim agri instar vestiens nec non in promontorio *Strömsnæsset* prope *Kaafjord* crescit. Parcius habitat in *Porsangria* prope ostium fluminis *Börselv;* ut etiam circa fundum intimum sinus *Laxefjord Finmarkiæ orientalis.*

53. LATHYRUS PALUSTRIS, *L.*

Hab. qvoqve parcius prope fundum sinus *Bugöfjord Varangriæ australis.*

54. LATHYRUS PRATENSIS, *L.*

Hab., foliis instructus nunc infra pubescentibus nunc extra nervos glabriusculis, per præfecturam *Senjensem;* a me visus ad insulam *Kvæö*, *Harstadhavn, Sandtorv*, *Havnvig, Klöven,* insulam *Tromsö,* in cujus districtu *Blytt* eum commemoravit; nec non ad prædium *Evenæs* sinus *Ofoden.*

55. VICIA SEPIUM, *L.*

Hab. qvoqve inter pagum *Lavangen & Evenæs;* in vicinia prædii *Sandtorv,* nec non ad insulam *Kvæö.*

56. VICIA CRACCA, *L.*

Hab. in tractu litorali passim freqventer per totam provinciam, ascendens passim v. suis locis vulgatius per convalles minores ex. gr. ad *Lille-Lærrisfjord* & per partem inferiorem & mediam convallium continentalium majorum ex. gr. *Alten & Maalselven,* sed partem superiorem harum, qvantum adhuc observare potui, vulgo fugiens, tamen in *Porsangria* parcius apparens qvoqve in tractu lacus *Laxevand.*

57. ANTHYLLIS VULNERARIA, *L.*

Hab., hac in provincia, ut videtur, solum calcareum & loca in vicinia maris præferens, qvoqve ad *Evenæs* sinus *Ofoden;* ad radicem alpis, prope *Havnvig* positæ, ubi 4—500 pedes supra mare inter plantas nil nisi alpinas ex. gr. CARICEM PEDATAM parcius visa est; porro ad *Harstad-*

*havn;* nec non prope pagum *Talvig* præfecturæ *Altensis*, ubi latit. boreal. transgreditur 70 °.

## ROSACEÆ.

58. RUBUS ARCTICUS, *L*,

Hab. in convalli *Maalselven*, a *Lund* jam indicatus, passim, tamen partem infimam sublitoralem & forsitan supremam qvoqve fugiens, scil. in tractu inter prædia *Fleskemoen* & *Bjerkeng*, qvibus locis copiosissime occurrit, in convallem lateralem *Kirkesdal* qvoqve ingrediens. In convallibus *Altensibus* viciniæ maris appropinqvat, freqventissime occurrens. Juxta flumen *Tanense* procedit usqve ad partem superiorem rami terminalis *Anarjok*, ubi in silva *Bassevuovde* adest, nec non juxta flumen affluens *Karrasjok*, usqve supra *Beskinjarga*.

59. RUBUS CASTOREUS, *Læstad.*

Hab. qvoqve planta, in *Norvegia* rarissime occurrens, in convalli *Maalselven* ad prædium *Fleskemoen* infra terminum HORDEI ad fundum ipsum convallis, loco suo copiosius.

60. RUBUS IDÆUS, *L.*

Per convalles interiores parochiæ *Maalselven* & ad *Salangen*, præcipue ad peripheriam betuletorum, passim copiosius occurrit, qvam alibi in *Norvegia* eum vidi. In tractu litorali interiore & medio præfecturæ *Senjensis* rarius & parcius crescit ex. gr. ad insulam *Senjen* prope *Klöven* & ad *Tromsödal*, tamen ad parvulum sinum *Ramfjord*, mire ab alpibus inclusum, haud procul a *Tromsœa* situm, copiosissime occurrens & annis faustioribus messem largam fructuum urbi præbens. Hab. qvoqve copiosius ad fundum interiorem sinus *Lyngfjord* scil. ad *Lyngseidet*, nec non pluribus locis ad fundum sinus *Skjervöensis* ex. gr. ad *Nordtjosen* & ad *Samuelsdal*, vallem parvulam c. 1 milliar. Norv. a mari remotam. In districtu *Altensi* ex. gr. juxta partem inferi-

orem fluminis *Transfarelv* parcius, ut etiam remotius a pago *Talvig* provenit, hoc loco latit. boreal. transgrediens 70 °.

61. POTENTILLA TORMENTILLA, *Scop.*

Hab. passim rarius per magnam partem provinciæ scil. qvoqve ad insulam *Kvæö;* ad *Alten,* prius indicata, ex. gr. ad clivum *Björnenglid* convallis *Tverelven;* in *Porsangria* ad convallem *Börselv* loco c. 1 milliar. Norveg. a mari remoto, ubi latit. boreal. attingit. c. 70 ° 20.

62. POTENTILLA ANSERINA, *L.*

Hab., varians foliis nunc utrinqve glabriusculis virescentibus (Cfr. Wahlenb. Fl. Lapp. p. 146) præcipue ad *Varangriam,* nunc subtus nivee pubescentibus per majorem partem provinciæ, nunc rarius (ex. gr. ad *Komagfjord* & *Store-Lærrisfjord*) foliis qvoqve supra subnivee pubescentibus, per provinciam totam freqventius ad litora maris, a qvorum vicinia remotius crescentem nondum vidi. Occurrit ex. gr. qvoqve ad insulam *Sörö* tractu *Bredvigensi;* in *Porsangria* prope ostium fluminis *Börselv* & ad *Repvaag;* néc non ad insulam *Maasö,* ibi qvoqve foliis subtus nivee pubescentibus gaudens.

63. POTENTILLA ARGENTEA, *L.*

Hab., prius hac in provincia non observata, parcissime prope *Harstadhavn* ad colles maritimos, ubi latit. boreal. attingit 68 ° 48—49.

64. FRAGARIA VESCA, *L.*

Hab. passim per tractum continentalem exteriorem & litoralem interiorem præcipue ad radicem rupium vel montium meridiei expositorum solo sicciore sæpe calcareo. A me visa est ad *Havnvig; Harstadhavn;* in parte inferiore convallis *Maalselven* ex. gr. supra prædium *Sollid;* porro supra prædium *Krogen* in convalli *Salangen;* ad *Mortenshals* & insulam *Tromsö;* ad sinulum *Kaafjord,* jam indicata; copiosius ad promontorium *Öskarnæs,* parcius ad *Strömsnæs;* ad *Störvigsnæs;*

in vicinia pagi *Talvig* sat copiose, ubi annis faustioribus fructus dulces & deliciosi leguntur, parvula qvantitate etiam exportantur; ad latus boreale sinus *Komagfjord* ascendens 4—500 ped. supra mare, fructibus plurimis annis ad maturitatem pervenientibus gaudens; nec non secundum relationes fide dignas ad sinum *Store-Lærrisfjord* loco qvodam tam copiose fructificans, ut clivus ea rubescat. Locis proxime nominatis latit. boreal. attingit 70° 15—20. Narratur etiam, plantam hanc prius, circa abhinc annos 50, longius septentrionem versus visam esse scil. ad convallem *Kvalsunddal* (70° 30—40) sed post devastationem silvarum ibi evanuisse.

65. ROSA CINAMOMEA, *L.*

Hab., jam. prius aliqvantulum longius meridiem versus scil. ad *Kautokæino* a *Zetterstedt* indicata, qvoqve juxta flumen *Altenelv* infra alpem *Reipas*, ubi anno 1852, ab incola Altensi edoctus, abundanter florentem legi ad latit. boreal. 69° 57—58.

66. ROSA MOLLISSIMA, *Fr.*

Hab. qvoqve sat copiose ad clivos apricos insulæ *Kvæö* & ad colles prope *Harstadhavn* & *Throndenæs*, ubi anno 1863 largiter florentem vidi & unde eodem anno fructus maturos recepi. Referunt incolæ fide digni, ROSAM ibi qvotannis florescere & fructificare (Cfr. Wahlenb. Fl. Lapp. p. 143). Secundum dicta adest qvoqve in districtu *Dyrö*, in cujus vicinia ad parvulam insulam *Tranö* eam ipse legi ad latit. boreal. c. 69° 10.

67. PRUNUS PADUS, *L.*

In districtibus *Maalselven* & *Alten*, unde jam cognitus est, passim copiose crescit, aërem odore svavi imbuens. Hab. qvoqve parcius in vicinia pagi *Talvig*; ad clivos lateris borealis sinus *Komagfjord* & ad convallem fundi sinus *Lille-Lærrisfjord*, ubi latit. boreal. attingit 70° 15—20, crescens trunco humi prostrato, ramis erectis abunde florentibus. Occurrit porro trans promontorium *Nordcap* qvoqve in *Porsangria* ad tractum inter *Bævke-*

*goppe* & lacum fluminis *Staburselv* & ad convallem *Laxelv*.

## ANAGRARIEÆ.

68. EPILOBIUM MONTANUM, *L.*

Hab., præcipue locis siccioribus, solo calcareo sæpius gaudentibus, infra latera rupium v. montium meridiei expositorum, passim, a me visum ad insulam *Kvæö;* ad prædium *Klöven* insulæ *Senjen;* in convalli *Maalselven*, a *Lund* jam indicatum, ex. gr. ad radicem montis *Akka;* porro ad insulam *Tromsö* pluribus locis, etiam in fossis, ab E. ORIGANIFOLIO comitatum, occurrens; nec non optime evolutum in tractu pagi *Talvig* ad clivos riparios prope lacum *Storvandet*, ubi latit. boreal. transgreditur 70°.

## HALORAGEÆ.

69. CALLITRICHE VERNA, *L.*

Hab., varians ut α, β, δ: Wahlenb. Fl. Lapp. p. 2, per præfecturam *Senjensem* ad *Harstadhavn* & in parte inferiore convallis *Maalselven* ex. gr. ad *Lerbekmo* & alibi; in parte inferiore convallium *Alten* & *Tverelven* freqventius; ad *Hammerfest;* in tractu fluminis *Tanen* ad *Bonakas*, rivum *Matsjok*, juxta ramum terminalem illius flumen *Anarjok* prope domicilium supreme habitantis; nec non in *Porsangria* ad pagum *Laxelv* & ad *Repvaag*, ubi latit. boreal. attingit c. 70° 45.

70. CALLITRICHE AUTUMNALIS, *L.*

A *Deinboll* jamdudum indicata, copiosissime habitat in lacu fluminis *Pasvigelv* varians: LUNULIFERA, dimidia parte fructus abortiente, altera *luxuriante, lunulata, horizontaliter inflexa.* Etiam hoc in tractu absentia normali brac-

tearum & indole fructus ab omni CALLITRICHE VERNA optime distincta est, nec adest ullus transitus inter has species.

71. MYRIOPHYLLUM SPICATUM, *L.*
Hab. qvoqve ad *Veinæs* prope *Russemark Porsangriæ,* ubi latit. boreal. attingit c. 70 ° 25, nec non in lacu fluminis *Pasvigelv,* ut opinatur *Th. Fries,* plantam sterilem legens.

72. MYRIOPHYLLUM ALTERNIFLORUM, *DC.*
Hab. ad flumen *Karasjok* prope *Assebakte*, ut etiam ad partem superiorem fluminis *Anarjok.*

## PORTULACEÆ.

73. MONTIA FONTANA, *L.*
Hab. per majorem partem provinciæ vulgatius multis locis copiosissime, ad litora freqventer sed vulgo singillatim, ad rivulos & fontes socialiter, terram vestiens. Sic. hab. ex. gr. qvoqve ad *Kvæö,* ad insulam *Maasö,* ubi ad latit. boreal. 71 ° florentem die 9no Septembris vidi; in *Porsangria* ad *Veinæs,* in *Varangria australi* ad sinum *Bugöfjord* &c.

## CRASSULACEÆ.

74. SEDUM ACRE, *L.*
Hab. vulgo tantum in tractu litorali ad litora ipsa vel in vicinia eorum, rarius in partem inferiorem convallium ingrediens, ex. gr. ad convallem fundi sinus *Lille-Lærrisfjord,* tunc vulgo loca elevatiora ad radices montium præferens. Autumno anni 1863 ad *Tromsö* etiam initio Octobris hoc singillatim florens vidi.

75. SEDUM VILLOSUM, *L.*
Hab. qvoqve ad paludem pratensem paullo supra mare elevatum prope lacum *Saltvandet* ad fundum sinus *Grafjord* latit. boreal. 68 ° 40—45.

## GROSSULARIEÆ.

76. RIBES RUBRUM, *L.*

Hab. passim copiosissime præcipue in parte media convallium longiorum, ubi messem largam fructuum præbet, ex. gr. ad convalles parochiæ *Maalselven* & prius qvidem ad *Alten.* Parcius & rarius per tractum litoralem occurrit, exteriorem fere fugiens, sic parcissime ad insulam *Kvæö* præfecturæ Senjensis & ad ostium fluminis *Börselv* prope litora sinus *Porsangriæ.* Loca humiliora juxta flumina solo humoso & magis humido præfert, sed occurrit qvoqve ad clivos radicis montium, immo ad lapidosa, ex. gr. ad latus boreale convallis, fundo sinus *Lille-Lærrisfjord* adjacentis. In convalli *Maalselven* ad prædium *Elvskiftningen* fruticem altissimum in media silva PINI vidi. Habitat qvoqve ad lacum fluminis *Staburselv* & passim per convallem *Laxelv Porsangriæ;* juxta flumen *Karasjok* usqve ad inosculationen rivi *Bavtejok;* nec non secundum relationes custodis silvarum *Hinberg* ad *Kvalsundströmmen, Næverfjord, Ripperfjordbotten* parochiæ *Hammerfest,* ubi sæpe luxuriat, sed baccis maturis ab illo adhuc non visum est, attingens latit. boreal. 70 ° 28—30.

## SAXIFRAGEÆ.

77. SAXIFRAGA COTYLEDON, *L.*

Hab. qvoqve parcius in districtu *Altensi* ad latus alpis *Skoddavarre* exadversus vallem *Garrajok* prope terminum PINI, nec non in tractu prædii mercatoris sinus *Öxfjord,* ubi latit. boreal. attingit 70 ° 12—16.

78. SAXIFRAGA ADSCENDENS, *L.*

Hab. qvoqve ad *Havnvig* & *Harstadhavn* præfecturæ *Senjensis.*

## UMBELLIFERÆ.

79. ANGELICA SYLVESTRIS, *L.*

Hab. ut varietas, MONTANÆ appropinqvans, ad prædium

*Sandtorv;* ad insulam *Tromsö* parcissime; in districtu *Altensi* ad clivum *Björnenglid* convallis *Tverelven;* in convalli *Vasbotten* a pago *Talvig* remotiore copiosius; per *Porsangriam* in tractu lacus *Laxevand,* in convalli *Börselv* loco c. 1 milliar. Norv. a mari remoto, in convalli ad *Veinæs* prope *Russemark,* ubi latit. boreal. attingit c. 70 ° 25.

80. CARUM CARVI, *L.*

Hab. per tractum litoralem partis majoris provinciæ citra promontorium *Nordcap* positæ, sed in tractu continentali rarescens v. omnino desistens, sic qvoqve, in districtu Alten prius indicatum, parcius; ad sinum *Komagfjord* copiosius, nec non ad sinum *Lille-Lærrisfjord,* ubi latit. boreal. attingit 70 ° 15—20. Secundum dicta, pro qvorum fide non spondere audeo, occurrit qvoqve ad *Kiberg* sinus *Laxefjord* & ad insulam *Kjelmöen Varangriæ australis,* verisimiliter, si res vera est, his locis, ut multis aliis, primitus ab homine consulto dispersum ut herba aromatica æstimata.

+ HERACLEUM SIBIRICUM, *L.*

Fructibus maturis ornatum visum est ad fossas in cultis prope prædium *Sandtorv* præfecturæ *Senjensis.* Ad interim sapientius ut civis Floræ hujusce non salutandum est.

81. PIMPINELLA SAXIFRAGA, *L.*

In districtu *Saltensi* a *Sommerfelt* notata, occurrit, qvoad secturam foliorum ut alibi vulgo varians, qvoqve ad prædium *Sandtorv;* ad insulam *Kvæö;* ad *Harstadhavn* copiosius, attingens latit. boreal. 68 ° 45—50.

## RUBIACEÆ.

82. GALIUM BOREALE, *L.*

Hab. qvoqve ad insulam *Kvæö, Havnvig,* insulam *Senjen* in tractu prædii Kløven, insulam *Tranö,* insulam *Tromsö* copiose, sed in convalli *Maalselven* rarius apparet & desistens in interiore. Porro occurrit qvoqve in *Porsangria* juxta flumen *Laxelv* & ad lacum fluminis

*Staburselv* copiosius & in tractu inter hunc & *Bævkegoppe;* in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* procedit passim copiosius juxta flumen *Karasjok* usqve ad ostium rivi *Bavtejok* & juxta rivum *Jesjok;* nec non juxta flumen *Anarjok* prope domicilium supreme habitantis. In districtu *Karasjokensi* ascendit remotius a pago *Assebakte* usqve ad viciniam termini BETULÆ.

83. GALIUM ULIGINOSUM, *L.*

Hab. qvoqve in *Porsangria* ad lacum fluminis *Staburselv;* in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis,* ubi in districtu *Karasjokensi* remote a pago *Assebakte* ascendit ad viciniam termini BETULÆ, nec non juxta flumen *Anarjok* haud procul a domicilio supreme habitantis.

84. GALIUM PALUSTRE, *L.*

Hab. qvoqve ad insulam *Kvæö;* in convalli *Maalselven,* a *Lund* indicatum, ex. gr. ad prædia *Fagerliddal* & *Foslid;* in *Porsangria* ad lacum fluminis *Staburselv,* & ad pagum *Laxelv.*

85. GALIUM TRIFIDUM, *L.*

Hab., præcipue ut planta litoralis v. sublitoralis, qvoqve per *Porsangriam* ad *Billefjord, Veinæs* prope *Russemark, Repvaag,* ubi latit. boreal. attingit c. 70° 45, verisimiliter tamen longius septentrionem versus qvoqve reperiendum.

86. GALIUM TRIFLORUM, *Michx.*

Hab. qvoqve copiosius ad clivos riparios prope lacum *Storvandet* in tractu pagi *Talvig,* ubi latit. boreal. transgreditur 70°.

87. GALIUM APARINE *L.* * INFESTUM, *Kit.*

Hab. qvoqve ad insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven.*

## DIPSACEÆ.

88. TRICHERA ARVENSIS, *Schrad.*

Hab. qvoqve optime evoluta ad colles apricos prope *Harstadhavn,* ubi latit. boreal. attingit 68° 48—49.

## COMPOSITÆ.

89. NARDOSMIA FRIGIDA, *Hook.*
Hab. qvoqve in parochia *Maalselven* ad alpem *Aglapen* supra terminum BETULÆ, qva in regione vulgo versatur per tractus magis continentales citra promontorium *Nordcap;* porro ad alpes circa *Tromsödal;* ad convallem fundi sinus *Lille-Lærrisfjord* parcius descendens juxta flumen; in *Porsangria* haud procul ab ostio fluminis *Börselv* in vicinia litorum maris, prope lacum fluminis *Staburselv* loco qvoqve paullo supra mare elevato, in tractu lacus *Laxevand;* ut etiam juxta rivum *Matsjok* in tractu *Tanensi* inferiore.

90. TUSSILAGO FARFARA, *L.*
In alpe *Rostafjeld* supra terminum BETULÆ altius ascendit, item in jugo alpino *Borras* districtus *Altensis.*

91. ACHILLEA MILLEFOLIUM, *L.*
Hab. per majorem partem tractus litoralis, qvem in hac provincia præfert, vulgatius & passim copiose. In convalli australiore *Maalselven* mox rarescit & evanescit longius infra terminum HORDEI, & ad prædium *Kongslid* partis superioris hujusce convallis ut plantam aromaticam in horto cultam vidi. In convalli *Alten* & in convalli proxima *Tverelven* fere culturam HORDEI seqvitur 1—2 milliar. Norveg. juxta flumen adscendens. In tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* longius supra & extra terminum HORDEI locis 400 ped. v. ultra supra mare elevatis juxta flumen *Karasjok* eam reperi. Ad insulam *Maasö* latit. boreal. 71° die 9no Septembris etiamtum florens visa est.

92. PYRETHRUM INODORUM, *Sm.*
Per tractum litoralem ad litora ipsa & loca adjacentia passim freqventius occurrit; in convalli *Maalselven* & alibi ad agros & arva copiosissime. Habitat qvoqve ad flumen *Anarjok* in tecto infime habitantis, etsi in vicinia ad loca a natura ipsa facta non vestigium ejus detegere potui. Ad

insulam *Maasö* hoc qvoqve die 9no Septembris florens visum est.

+ CHRYSANTHEMUM LEUCANTHEMUM, *L.*

In pratis artificialibus ad insulam *Tromsö* inter alias herbas alienas seminatum, sed frigore jam ante fructificationem rigens observavi.

93. ARTEMISIA VULGARIS, *L.*

Hab., luxurians, passim per partem australem tractus litoralis præfecturæ *Senjensis*, sic qvoqve ad pagum *Lavangen*, in parochia *Kvæfjord* suis locis copiose, ad *Harstadhavn.* Parcius qvoqve apparuit in districtu *Alten* ad *Smedegjerdet.*

94. TANACETUM VULGARE, *L.*

Hab. qvoqve ad prædium pastoris *Tranö* & ad insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven.* Per *Norvegiam* olim sat æstimatum, in hortis rusticorum & præcipue ad sepulcreta adhuc haud raro cultum, a qvibus locis forsitan dispersum est. Ad sepulcretum antiqvius insulæ *Tromsö* copiosissime satum est, & extra id in vicinia proxima parcius in prato occurrit. Æstate & autumno faustiore anni 1863 ibi nullum vestigium fructuum maturorum post deflorescentiam investigare potui; omnia semina inania fuere.

95. ANTENNARIA CARPATHICA, *Bl.* & *Fing.*

Hab. hæc planta rara *Norvegiæ* copiosius ad alpem *Aglapen* supra terminum Betulæ in regione SALICUM majorum & altius, nec non ad alpem *Rostafjeld.*

96. CREPIS TECTORUM, *L.*

Hab. qvoqve ad insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven;* in convalli *Maalselven*, ubi *Lund* eam indicat, ex. gr. ad *Fagerliddal* &c.; nec non ad flumen *Karasjok.*

97. CREPIS PALUDOSA, *Koch.*

Hab. qvoqve ad insulam *Kvæö;* ad insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven;* ad insulam *Tromsö* & ad con-

tinentem adjacentem; ad sinum *Komagfjord;* nec non in *Porsangria* prope *Russemark.*

98. LEONTODON AUTUMNALIS, *L.*

Hab., sat varians, sæpe ut *β* asperior Wahlenb., qvoqve ad insulam *Senjen;* ad *Tranö;* ad insulam *Tromsö* & continentem adjacentem; ad convallem *Vasbotten* in tractu pagi *Talvig;* ad fundum sinus *Komagfjord;* per *Porsangriam* in tractu lacus *Övre-Laxevand,* ad *Veinæs* prope *Russemark;* nec non ad insulam *Maasö* attingens latit. boreal. 71°. In alpibus ex. gr. *Rostafjeld* parochiæ *Maalselven* & *Borras* districtus *Altensis* supra terminum BETULÆ altius ascendit.

99. MULGEDIUM SIBIRICUM, *Less.*

In convalli *Maalselven,* ad prædium *Guldhav* a *Lund* notatum, occurrit inter hoc & prædium *Kirkenæs* passim, præcipue infra prædium *Bakkehoug* socialiter copiose. Juxta flumen *Karasjok* pluribus locis inter ostium & pagum nec non supra *Assebakte* adest.

100. SONCHUS ARVENSIS, *L.*

Hab. qvoqve ad *Evenæs* sinus *Ofoden;* ad sinum *Lille-Lærrisfjord;* nec non in *Porsangria* haud procul ab ostio fluminis *Börselv.*

101. HIERACIUM CYMOSUM, *Fr.*

Hab. qvoqve supra prædium pastoris *Mortenshals;* nec non copiosius in parte superiore convallis *Vasbotten Talvigensis.*

102. CARDUUS CRISPUS, *L.*

Hab. ad pagum *Lavangen* in agris, nec non in convalli *Maalselven* ad graminosa radicis montis *Akka.*

+ CENTAUREA JACEA, *L.*

In prato insulæ *Tromsö* eam cum seminibus pratensibus exteris seminatam vidi.

+ CENTAUREA CYANUS, *L.*

Inter segetem originis exteræ ad pagum *Talvig* eam anno 1852 vidi.

## VACCINIEÆ.

103. OXYCOCCOS PALUSTRIS, *Pers.*
Varians baccis multo minoribus qvam in terris australioribus, habitat passim freqventius per provinciam, sic qvoqve per *Porsangriam* in tractu lacus *Laxevand,* haud procul ab ostio fluminis *Börselv,* prope *Kistrand* & ad *Repvaag*, ubi latit. boreal. attingit c. 70 ° 45; in tractu continentali intimo juxta *Anarjok* ad silvam *Bassevuovde;* nec non ad tractum fluminis *Pasvigelv Varangriæ.*

## ERICEÆ.

104. CASSIOPE HYPNOIDES, *Don.*
Hab. qvoqve ad alpes parochiæ *Maalselven* ex. gr. ad *Falkebjerget* prope *Tagelvdal*, ad *Aglapen*, ad jugum alpinum inter flumina *Barduelv* & *Maalselv* copiose, ad jugum supra prædium *Sörlid* convallis *Dividal*, ad *Rostafjeld;* porro ad alpem continentalem a prædio *Klöven* remotam; ad alpes circa *Tromsödal;* nec non ad jugum inter sinus *Lille-Lærrisfjord* & *Store-Lærrisfjord.*

105. CASSIOPE TETRAGONA, *Don.*
Hab. qvoqve in parochia *Maalselven* ad alpem *Falkebjerget, Aglapen* copiosius, *Rostafjeld* in ipso cacumine, ad jugum in angulo inter flumina *Maalselv* & *Divielv* positum. Ad alpes *Altenses*, jamdudum indicata, occurrit ex. gr. ad *Skoddavarre, Peska, Reipas, Borras* &c. sed vulgo tantum ad peripheriam campi alpini, ubi talis adest, nec in tractum ejus interiorem remotiorem ingrediens. Ad radicem alpis *Sakkabani* exadversus pagum *Kaafjord* paullo luxurians ad litora maris descendit.

106. ARCTOSTAPHYLOS OFFICINALIS, *W. & Gr.*
Hab. passim freqventer sed non ubiqve locorum aptiorum

per magnam partem provinciæ, sic qvoqve ad *Evenæs* & *Klöven* præfecturæ *Senjensis;* in districtu *Alten* & *Kaafjord,* unde cognita est, freqventius; in *Porsangria* juxta flumen *Laxelv* & ad rupes calcareas prope ostium fluminis *Börselv*, ubi latit. boreal. attingit 70° 18—20; ut etiam in tractu continentali intimo *Finmarkiæ orientalis* juxta flumen *Karasjok* supra pagum *Assebakte,* ubi ad clivos arenosos siccos a VACCINIO ULIGINOSO, baccis permagnis vulgo oblongis & subangulosis gaudente, mire comitatur.

107. CALLUNA VULGARIS, *Salisb.*

Hab. non ubiqve sed passim freqventer per magnam partem provinciæ, nunc parcius, nunc copiosissime, sic qvoqve in tractu inter *Lavangen* & *Evenæs;* ad insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven;* ad *Tromsö;* in districtu *Altensi* freqventius copiosissime & ibi in jugum alpium supra terminum BETULÆ copiosius ascendens ex. gr. ad *Borras;* ad sinum *Komagfjord* & *Lille-Lærrisfjord;* in *Porsangria* ad tractum lacus *Laxevand;* in tractu intimo continentali *Finmarkiæ orientalis* juxta flumen *Karasjok* usqve ad ostium rivi *Bavtejok* freqventer sed plagas majores rarius induens, & juxta flumen *Anarjok* ex. gr. prope *Tjetsjemjokka* & ad silvam *Bassevuovde* copiose.

108. RHODODENDRON LAPPONICUM, *Wg.*

Hab. qvoqve in parochia *Maalselven* ad alpem *Falkebjerget* & ad *Rostafjeld;* in districtu *Altensi* qvoqve ad alpem *Skoddavarre, Peska, Nalganas* sat copiose. Ad radicem alpis *Sakkabani* fere ad litora maris copiosius descendit.

109. LEDUM PALUSTRE, *L.*

Hab., in districtu *Altensi* jamdudum cognitum, vulgo luxurians per partem inferiorem convallis copiosius & inter hanc & flumen *Transfarelv,* suis locis ad viciniam maris appropinqvans; porro qvoqve per *Porsangriam* in tractu lacus *Laxevand* haud infreqventer, & in

tractu inter lacum fluminis *Staburselv* & *Bævkegoppe* parcius latit. boreal. attingens c. 70 ° 10; nec non macrior juxta flumen *Karasjok* ad *Assebakte* (4—500 ped. supra mare) & altius; ut etiam juxta flumen *Anarjok* ad silvam Bassevuovde copiosissime.

110. PYROLA SECUNDA, *L.*

Hab. qvoqve ad sinum *Komagfjord* parcius & in tractu lacus *Laxevand Porsangriæ.* Ad *Lebesby* sinus *Laxefjord* (latit. boreal. 70 ° 32—34) inter individua formæ vulgaris adest varietas: DISPERSIFLORA, racemo floribus dispersis vel subdispersis (non secundis), qvæ varietas primo intuitu sat insignis videtur, sed transitus non desunt.

111. PYROLA UNIFLORA, *L.*

Hab. in convalli *Maalselven,* jam indicata, ex. gr. ad prædium *Aasen, Iselvmo, Rönningen, Messeltmo;* nec non qvoqve in *Porsangria* ad tractum lacus *Övre-Laxevand.*

112. PYROLA ROTUNDIFOLIA, *L.*

Hab. non ubiqve locorum aptiorum sed passim freqventius per magnam partem provinciæ (tamen minus freqventer qvam P. MINOR), sic qvoqve visa ad insulam *Kvæö;* ad insulam *Senjen;* ad *Havnvig;* in parochia *Maalselven*, jam indicata, etiam ad partem supreman convallis *Dividal,* altius ascendens supra terminum BETULÆ ad alpem *Rostafjeld;* ad insulam *Tromsö;* per *Porsangriam* in tractu lacus *Laxevand* freqventius & ascendens ad terminum BETULÆ, juxta flumen *Laxelv* passim copiose, ad tractum inter lacum fluminis *Staburselv* & *Bævkegoppe*, ad *Kulvig,* in convalli *Börselv,* ubi latit. boreal. attingit c. 70 ° 20; nec non in tractu continentali intimo ad districtum *Karasjokensem,* ubi, a pago *Assebakte* remote, ad terminum BETULÆ fere adscendit.

## GENTIANEÆ.

113. GENTIANA CAMPESTRIS, *L.*

Hab. passim per tractum litoralem præfecturæ *Senjen-*

*sis*, a me visa: ad *Evenæs* sinus *Ofoden*, ad *Sandtorv*, *Harstadhavn*, insulam *Tranö*, insulam *Senjen* in tractu prædii *Klöven*, nec non ad insulam *Tromsö*.

114. GENTIANA AMARELLA, *L.*
Hab. qvoqve ad *Evenæs* & insulam *Tromsö*.

115. GENTIANA INVOLUCRATA, *Rottb.*
Hab. qvoqve ad insulam *Senjen* prope *Klöven*; ad insulam *Tromsö*; ad sinum *Komagfjord* parcissime; per *Porsangriam* haud procul ab ostio fluminis *Börselv*, ad pagum *Laxelv* $^1/_4$—$^1/_2$ milliar. Norveg. a mari remotum; ad *Veinæs* sinus *Laxefjord*.

116. GENTIANA SERRATA, *Gunn.*
Hab. qvoqve ad prædium *Mortenshals*; ad insulam *Senjen* tractu prædii *Klöven*; nec non ad fundum intimum sinus *Laxefjord Finmarkiæ orientalis*.

## POLEMONIACEÆ.

117. POLEMONIUM CÆRULEUM, *L.*
Varians corollis majoribus qvam in terra australiore, sed distinctum a subspecie «CAMPANULATUM», solum est, qvod adhuc observavi in *Nordlandia* & *Finmarkia* occidentali, ex. gr. in tractu inter *Lavangen* & *Evenæs*, ad insulam *Senjen*, in districtu *Tromsœensi* & *Altensi*, nec non ad sinum *Komagfjord*.

— POLEMONIUM CÆRULEUM * CAMPANULATUM, *Th. Fr.*
Hab. qvoqve ad flumen *Karasjok* inter ostium & pagum.

## BORAGINEÆ.

118. MYOSOTIS ARVENSIS, *Hoffm.*
Hab. qvoqve ad *Sandtorv*, insulam *Kvæö*, *Harstadhavn*. Ad insulam *Tromsö* eam tantum in arvo horti, sed ibi copiosissime nascentem et fructibus large maturescentibus gaudentem, vidi.

119. MYOSOTIS (?) SP.

Individuum unicum maxime mancum BORAGINEÆ, floribus & fructibus elapsis, sed calycibus adpresse pilosis distinctum, juxta flumen *Pasvigelv* autumno serotino legi.

120. ECHINOSPERMUM DEFLEXUM, *Lehm.*

In parochia *Maalselven* jam notatum vidi ad convallem *Dividal* infra ostium rivi *Dödeselv.* Hab. qvoqve ad clivos riparios prope lacum *Storvandet* in districtu pagi *Talvig,* ubi latit. boreal. transgreditur 70 °.

121. STENHAMMARIA MARITIMA, *Reich.*

Inter individua formæ vulgaris occurrit ad *Lebesby Finmarkiæ orientalis* varians: EPRUINOSA, foliis obscurius virescentibus.

122. ASPERUGO PROCUMBENS, *L.*

Hab. qvoqve in hortis & agris per partem inferiorem districtns *Altensis*, ex. gr. ad *Bossekop, Elvebakken, Lampe.* Fructus qvotannis maturescit.

+ LYCOPSIS ARVENSIS, *L.*

Adventiciam parcissime occurrentem, ad insulam *Tromsö* nec autumno serotino fructificantem semel vidi.

## LABIATÆ.

123. THYMUS SERPYLLUM, *L.*

Ad ripas arenosas fluminis *Tana* passim ascendit per tractum continentalem intimum usqve juxta partem superiorem rami terminalis ejus, fluminis *Anarjok.*

124. SCUTELLARIA GALERICULATA, *L.*

Hab. nova civis Floræ arcticæ *Norvegiæ* ad partem inferiorem convallis *Maalselven,* copiosius in tractu inter prædia *Guldhav & Olsborg,* nec non ad partem superiorem convallis prope prædium *Neergaard,* attingens latit. boreal. 69 ° 10—12.

125. GALEOPSIS TETRAHIT, *L.*

Hac in provincia, ut etiam in *Norvegia* australiore, vulgo ut planta litoralis qvoqve, pygmæa, floribus parvulis

pallidisqve occurrit, sic, ut videtur, ad hæc loca ab omni agricultura independenter nascens. In fissuris rupium ad fundum intimum sinus *Laxefjord* loco remotissimo ab terricultura, & ad radicem montium supra lapidosa lata procul a domiciliis & cultis (ex gr. ad convallem sinus *Lille-Lærrisfjord*) eam sæpius offendi. In cultis vulgaris est per majorem partem provinciæ. In fossa minus humida nascentem eam ad *Tromsö* die 18vo Octobris 1863 florentem vidi.

126. GALEOPSIS VERSICOLOR, *Curt.*

Hab. per partem australiorem præfecturæ *Senjensis* rarius qvam præcedens (Cfr. Wahlenb. Fl. Lapp. p. 163), sic qvoqve ex. gr. ad *Harstadhavn* & ad prædium *Klöven* insulæ Senjen.

127. PRUNELLA VULGARIS, *L.*

Hab. qvoqve in tractu prædii *Evenæs*, ad *Harstadhavn* sat copiose, ad insulam *Senjen* prope *Klöven*. Ad insulam *Tromsö* a *Blytt* indicata habitat passim parcius.

## PERSONATÆ.

128. LIMOSELLA AQVATICA, *L.*

Planta, hujusce provinciæ rarissima, ad *Hammerfest* a *Gunnero* jam notata, sed postea, qvantum scio, non reperta, habitat qvoqve ad sinulum lacus fluminis *Pasvigelv*, ut forma sat robusta, foliis plurimis superne in laminam dilatatis.

129. VERONICA OFFICINALIS, *L.*

Hab. passim rarius, præcipue ad radicem rupium v. montium meridiei expositorum, sic qvoqve ad *Havnvig*, *Harstadhavn*, *Klöven*; ad convallem *Maalselven*, jam commemorata, ex. gr. ad prædium *Fagerlidal*; ad insulam *Tromsö* infra rupes calcareas supra urbem sitas; in parochia *Altensi* ad clivum *Björnenglid* convallis *Tverelvdal* & ad radicem alpis *Skodda-*

*varre* convallis *Eibydal;* in tractu pagi *Talvig* ad lacum *Storvandet;* ad latus boreale sinus *Komagfjord* & ad convallem adjacentem sinus *Lille-Lærrisfjord;* nec non trans promontorium *Nordcap* in *Porsangria* ad convallem *Börselv*, ubi attingit latit. boreal. 70 ° 18—20.

130. VERONICA LONGIFOLIA, *L.*

Hab. in *Porsangria*, a *Gunnero* jam commemorata, ad *Kulvig*, *Billefjord*, prope ostium fluminis *Börselv*, juxta flumen *Laxelv* copiosius; porro qvoqve in tractu continentali intimo juxta flumen *Karasjok*, copiosius a *Beskinjarga* usqve ad ostium rivi *Bavtejok*.

131. VERONICA SCUTELLATA, *L.*

Villose varians habitat qvoqve ad flumen *Karasjok* prope *Assebakte*.

132. MELAMPYRUM PRATENSE, *L.*

Hab. qvoqve ad sinum *Komagfjord* & ad *Lille-Lærrisfjord;* nec non in tractu lacus *Laxevand Porsangriæ*.

133. MELAMPYRUM SYLVATICUM, *L.*

Hab. qvoqve ad insulam *Sörö* in tractu pagi *Bredvig*.

134. RHINANTHUS MAJOR, *Ehr.*

Pro *Finmarkia orientali Th. Fries* eum indicat ad *Nyborg* & *Tanen* ut civem illius Florulæ. Nullo loco *Finmarkiæ* v. præfecturæ *Senjensis* eum sponte nascentem adhuc animadverti. Sed prope *Tromsö* ad pratum artificiale, seminibus *Christianiæ* emptis consitum, die 18vo Octobris anni 1863 eum etiamtum efflorentem, capsulis infimis gaudentem vix semimaturis, frigori occumbentem observavi, dum RH. MINOR, planta vulgatissima hujusce provinciæ, in vicinia defloritus seminibus jamdudum elapsis adfuit. Sic non dubito, qvin R. MAJOR a Flora arctica nostra *citranordcapensi* ad interim excludendus sit.

135. PEDICULARIS SCEPTRUM, *L.*

Ad partem mediam & superiorem convallium *Altensium*

passim non parce occurrit planta ibi jam indicata, ad convallem *Mathisdal* copiosius forsitan qvam alibi. Porro habitat qvoqve ad convallem *Vasbotten* a pago *Talvig* remotiorem; per *Porsangriam* ad *Veinæs* copiosius & in tractu circa lacum *Laxevand;* juxta flumen *Karasjok* passim procedens longius supra *Beskinjarga,* ab *Assebakte* remotius per tractum subalpinum viciniæ termini BETULÆ appropinqvans.

136. PEDICULARIS PALUSTRIS, *L.*

